

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XVII. De Coss. S. Q. Speciat. Cibiniens

urn:nbn:de:bsz:31-102564

Iymanni tempore turbata, ablata ac ferme deleta, barbaris auspicio AVGVSTI fortiter feliciterque pulsus, novum pristinumque facile nobis promittunt splendorem.

§. X. Religio Christiana in Transylvaniam traducta est per Hungaros, sed in Hungariam migravit ope Germanorum, inprimis connubio Gise-lae, cum Stephano I. Rege contracto.

§. XI. Ex capite huius matrimonii quondam Hungari, nullo evidenti firmoque argumento, ius in Boioariam sibi asseruerunt, apud Petrum de Revva sent. 1. rer. Hung.

§. XII. Primae finium lites inter Hunnos Francosque exortae sunt ob limitem Boioariae, quae auctoribus exitio fuerunt. Quod recte animadvertit scriptor annalium Laurishamensium, qui tradit, contentionem atque alterationem (de finibus) belli postea cum Hunis gesti seminarium atque originem fuisse.

§. XIII. Hungari, excisis Hunnis, in Pannoniam adventarunt, et inita cum Arnulpho societate belli, partem regni Marahensis acceperunt, quam Germani postea ereptam, iuxta cum Pannonia superiori, in Germaniae patrimonium conflagrunt, finesque adeo in viscera illius regionis protulerunt. Cautè hic verba Thuani sunt intelligenda, scribentis, Pannonia superiori hodie Austriam fere contineri, lib. LX. Hist. Nam id iure dici et concedi nequit de Austria, quae ad Anasum patet, quippe quae antehac Boioariae limitem clausit, et Marchia regni Orientalis, non Pannoniae provincia fuit.

§. XIV. Atenimvero Dacia, quam praedixi, veteris Romanorum Imperii horreum fuit, et multum auri argenti que aerario intulit, adeo ut magnas amplasque opes ibi cumularent. Nota pervulgataque sunt nomina Magistratum, qui census metallici negotia curarunt et moderati sunt, inter quos imprimis eluxit proconsul aurariarum, quem vetera atque incorrupta Daciae monumenta apertissime demonstrant. Tum quinto quoque anno haec provincia solenne vectigal pendebat, quod Romani suo iure et more lustrum nominarunt. Cuiusmodi inscriptiones adhuc extant, honori memoriaeque COACTORVM sacrae. Coactores qui fuerint, nescire puto neminem, qui Tullium Tranquillumque leviter attigit, cursimque inspexit.

XVII. DE COSS. S. Q. SPECIAT. CIBINIENS.

Magna quondam et prope regia erat dignitas Consulium, qui exactis Regibus, summam Reipublicae Romanae administrandam susceperunt,

runt. Polybius lib. V. Dionysius Halic. l. V. Post utrosque Tullius aperte scribit, regio imperio fuisse praeditos, lib. III. de legibus. Livius consulare imperium ex potestate regia aestimavit ac definivit. II, 1. Minime tamen assentior Boxhornio affirmanti, omnia Regum iura ac insignia Consulibus mansisse, in Dissert. VIII. de Rom. Imp. Regium quippe imperium non est Regium ius regendi, quod Tullius omnino distinctum voluit, contra quam sensit, Boxhornius, et ante eum Onuphrius Panvinius in Commentar. Reip. Rom. 579. Similiter atque Livius potestatem Consularem non exacte regiam, sed imitatione quadam regiae potestatis descripsit. Id quod actus Imperii Consularis, et argumenta intellectus civilis facile indicant, et dissentientem ex ipso etiam Tullio et Livio convincunt. Stante enim imperio Consulari, non leges regiae, sed Scta valuerunt et promulgata sunt; hinc plebiscita et leges tribunitiae coeperunt, quae multum ex potestate consulari deminuebant. Omnium clarissime hoc comprobatur provocatio ad populum, quae non regium, sed populare ius regendi prorsus confirmat.

§. II. Suffragiis populi Consules creati et constituti, ac deinceps voce praekonis, aut Consulibus interdum renunciati, privatum ius per se ipsi, publicum vero cum Senatu populoque reddebant. De praecone testatur oratio II. contra Rullum, de COS. orat. pro Muraena. Iuris reddendi munus abunde constat, quod inter cetera munia Regia, ad Consules devenisse, eosque civium controversias diremisisse, tradit Dionysius lib. X. In rebus gravioribus consulebant Senatum, ad eumque de religione, et aliis reipublicae negotiis referebant, Liv. XXIV. 11. et 43. Idem enim erat referre, quod consulere in antiquis formulis, quae passim notae sunt ac pervulgatae. Postea mutato Imperii statu, Imperatores ad Senatum referre, et Consules designare coeperunt. Relatio enim, cuius A. IV. 22. Tacitus meminit, non fuit Consularis, et designatio, quam tradit Vopiscus, ab Imperatore Valeriano peracta est, nisi quod Senatui relictum erat ius dandi scipionem et fasces, in Aureliano c. XIII.

§. III. Sed a Coss. et Senatu data concessaque est provocatio ad populum; neque enim iniussu populi de capite civium Romanorum statuere, aut pacem, bellum, foedera, pacisci potuerunt. Dionys. Halicarn. lib. V. Livius II. 8. X. 9. Fuit enim praecipua auctoritas penes Coss. sed summa potestas populo servata est, usque ad tempora Dictatoris perpetui Gaii Caeli, et in primis Octavii Augusti, qui pleno regioque iure imperavit, et de auctoritate eorum, relictis in speciem honoribus, insigniter derogavit, ut ex Dione Cassio, perito rerum ac prudente scriptore, constat. Omnium primo Coss. auctoritas lege Valeria vehementer inclinata est, neque tamen ante

ante hanc cum iure regio coniuncta fuit; quemadmodum putat Arn. Maur. Holtermannus, in *Orig. hist. Rom. iur. p. 108.* Populus quippe, eiectis Regibus, ius imperandi regium extinxit, neque per Consules continuari voluit, sed Laconico more et modo, Consulum potestatem circumscripsit, illisque non alio, quam suo et vicario nomine, imperium recte administrandum commisit, tempusque ipsis praestituit, quamdiu imperandi munere fungerentur. Id quod, Eutropio iudice, eo spectabat, ut ne per diuturnam potestatem insolentiores redderentur, sed civiles essent, qui se post annum scirent, futuros esse privatos. *Breviar. l. 1.* In eandem sententiam Cassiodorus: *ne insoleseeret animo, Consul dictus est a consulendo, Var. lib. VI. 1.* Scite sapienterque Florus: *ex perpetuo annum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine, vel mora corrumpere: Consulesque appellavit pro Regibus, ut consulere se civibus suis deberet meminissent, lib. 1. c. 9.* Cum quo iungendus est Cicero II. *Orat. post. red.* Consulere, ait Florus, non pleno regioque iure imperare, quippe quod cum libertate, et primo imperii Consularis instituto, ante legem quoque Valeriam, directo pugnabat. Ideo enim populus regnum sustulit, quod a iure regendi regio abhorrebat, novumque reipublicae statum libertate constituerebat, Consulumque munus praecundo, iudicando et consulendo absolvi cupiebat, et expresse declarabat. Capita erant sequentia. REGIO. IMPERIO. DVO. SVNTO. HQVE. PRAEEVNDQ. IVDICANDO. ET. CONSVLENDO. PRAETORES, IVDICES, COSS. APPELLANTOR. *Cicero de Legg. III.* Nemo est, qui non videat, permultum interesse inter regium imperium, et regium imperandi ius: prius enim ad regimen atque administrationem pertinet, et popularem omnino licentiam excludit; alterum vero designat regnum, sive civile imperium unius, quod nunquam Coss, nec pacis, neque belli tempore, habuerunt. Proinde verba, qua de Coss, concepta sequuntur, commode intelligenda sunt, MILITIAE. SVMMVM. IVS. HABENTO. Haec enim declarant imperium militare, et potestatem ducendi regendique exercitus, quam Coss, non suo, sed populi nomine gerebant. A populo mittebantur faciales ad res repetendas, ad bellum indicendum, ad victos dedendos, ad foedera ineunda: Consules tantum summi magistratus, summique duces belli erant, et iussi in militiam proficiscebantur, ut ex historia Livii patet.

§. IV. Magistratum inibant Kalendis Ianuariis, et annum auspiciati, fastis nomen dabant, bonique ominis causa servos manumittebant, ac praeter ludos, quos edebant, missilia quoque in vulgus spargebant; senatum vero, quoties opus erat, cogebant et consulebant, Comitia edicebant, SCra proferebant. Qvirites, in suam quosque tribum descriptos, ad suffragia

T t

voca-

vocabant : sed cum in provincias exirent, bellumque gererent, praetor urbanus Romae curabat, et munere eorumungebatur. Coss, ipsa inaugurationis suae die, quae in KAL. IAN. incidit, manumissionis ritu perfuncti sunt, repetito inde a Bruto Coss. initio, quod Livius II. docet, et sua aetate ita fieri consuevisse, affirmat *Ammianus Marcellinus lib. XXII.* Cuiusmodi Consules nominati sunt *Ordinarii*, qui nomine suo annum signabant, et cum solennia Consulatus fierent, trabeati (in castris paludati) incedebant, Consulesque alios deinde sibi sufficiebant, quorum tanta non erat dignitas, quanta illorum, qui nomina sua fastis praescribebant. Potestas tamen fuit eadem, quae priorum, sed auctoritas dispar, de quibus intelligendus est *Seneca lib. III. c. 31. de ira.* Dati enim duodecim fasces indicant, datam esse ple nam consulatus potestatem, sed cum minori dignitate coniunctam. Verba eius plana sunt. *Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium Consulem, id est, Cos. sibi sufficit, vel suffectum designavit.* Atque hi Consules ipsis *nundinis* designati et suffecti sunt, quod *nundino* quidem primo, crebrius fieri consuevit. De Alexandro Severo hoc tradidit *Lampridius cap. 28. coll. c. 43.* Talia enim *nundina* sex prodita sunt, quae si claudere Senatus, non erat iam locus sufficiendi Consules, apud *Vopiscum in Tacito cap. 9. ibidem not. CL. Salmastius, ex eoque Antonius Pagi in dissert. Hypatica part. 1. cap. 1.* Praeter hos Consules erant *honorarii*, qui titulo contenti, administrationisque expertes, in solo honoris simulacro acquiescebant. Cuius auctor instituti fuit *Iulius Caesar*, qui decem viros praetorios, nullum unquam Consulatum adeptos, honore Consulati ornavit, ut est apud *Tranquillum c. 76.* Idcirco post Coss. ordinarios, confidere iussi, quia nihil praeter nomen et ornamenta Consulatia obtinebant. *Novel. Iustin. LXII. lidem Codicillares* nuncupati sunt, propterea quod per codicillos vacantes eam dignitatem obtinuerunt, de quibus legere licet *Cassiodorum Var. VI. 10.* Huc pertinet *l. 66. C. de Decurionibus, et l. 2. C. Ut dignitatum ordo servetur.*

§. V. Postea vero oppressa reipublicae libertate, Consulatus summo unius imperio cessit, et Imperatorum arbitrio susceptus et collatus est, a quo tempore deinceps Consules non populo, penes quem antehac rerum summa erat, sed Imperatoribus, qui eam dignitatem dabant, in solenni coetu gratias egerunt. Locupletissimus testis *Plutarchus* docet, *Caesarem*, summa Dictatoris perpetui potestate, omnia in republica nutu et arbitrio suo gubernasse, in *C. Caesare. Consentunt Dio Cassius lib. XLII. et XLIII. Tranquillus in Caesare cap. 78.* Simul et belli administratio Consulibus erepta est, auctore consilii *Mecoenate*, qui Consulatum ab imperio armorum seiungendum putabat, prudensque Augusto suadebat Idcirco

Liba-

Libanius magistratum hunc nominavit militiae expertem, ἀρχὴν ἀσπλον. in *Panegy. Iuliani Aug.* Fuitque inter praecipua huius togati magistratus insignia, honor fellae curulis, qui consulatu in unius imperium verso, ad Imperatores quoque delatus est, quippe quem Iulio Caesari primo omnium tributum esse, Dio memorat, eoque sublato, etiam Augusto datum, confirmat. Quae fellae, in quibus confidebant Coss. sublimes erant et eburneae cum gradibus, quos sedendi causa ascendebant. Hinc Plinius iunior pronuntiavit, *ascendere curulem, in panegyrico Traian. c. 59.* Interdum pro conditione temporum, et moestitiae causa Coss. utebantur sella vulgari, quod accidit Druso mortuo, sed hoc facere eos vetuit Tiberius, et honoris locique dignitatem commendans, sellam curulem repetere ipsos voluit ac hortatus est, *apud Tacitum A. IV. 8. 3.* Longe alia fuit lectica consularis, quae sella *gestatoria* dicitur, et curuli recentior, ab auctore Claudio celebratur. *Dio Cassius hist. lib. LX.* Nil addo de Senatorum sellis, quae magis depressae humilesque erant, neque tamen hic inferior sedendi ordo impediabat, quin Coss. eorum iudicio starent, atque ex auctoritate patrum agerent omnia et exequerentur. At Imperio in unius potestatem redacto, dignitas Consulium exolevit, et umbra pristini honoris remansit, cum Imperatores omnia reipublicae iura in se traherent, nullamque Scotorum, et populi suffragiorum deinceps rationem haberent. Aliqui enim robur adimere contenti, honore pristino afficiendos putarunt, aliqui etiam insigniorem honoris partem eripuerunt, annisque numerandis non Consulium, ut antehac, sed Imperatorum nomen praeposuerunt. Id enim decrevit, iussit et novissima sanctione publica confirmavit Iustinianus Magnus, anno post Christi natalem Dionysiano vulg. DXXXVII. *Quorsum vid. Novell. XLVII.*

§. VI. Ab Imperatoribus haec Consulatus dignitas, non in cives modo, sed etiam in vicinos amicosque Reges collata est, quod usu probavit Anastasius, et Consulem declaravit Clodovaeum, Francorum primae stirpis Regem, ut honoris splendidissimi pariter, ac summae benevolentiae indicium esset, perpetuoque sequentium aetatum consensu, posteriorum memoriae traderetur. Quod munio auctoritate Gregorii Turo-nensis, antiquissimi rerum Francicarum scriptoris. *Ab Anastasio, inquit. Imperatore Codicillos de Consulatu accepit, et in basilica beati Martini tunica blatea (hoc est, purpurea) indutus est et chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso eqvo, aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii et ecclesiam civitatis est, praesentibus populis, manu propria spargens, voluntate benignissima erogavit, et ab ea die tanquam Consul et Augustus est vocitatus. lib. II.*

c. 38. Idem scribit Aimoinus *lib. I. c. 22. de gest. Franc.* Summae erant Consulibus Patriciisque dignitates, quae non nisi in illustres conferebantur, et Clodoveo non adipiscendi regni, ut regii iuris causa, sed in primis ob virtutis famam, honoris ergo dabantur. Huc referri meretur *lex ult. C. de COSS.* Diu post ex secunda Francorum stirpe Carolus M. Consulatum pro Imperio sumit, *annumque Consulatus primum*, pro anno Imperii primo habuit, ac plerisque in tabulis signavit. *Car. Sigonius l. IV. de regno Italiae.* Speciatim Patriciatus Caroli M. fuit eminens, et in summa urbis potestate fundatus, quem Consulatus exceperit, quo maior augustiorque nusquam in terrarum orbe reperitur.

§. VII. Qui in Italia Consules, ii in Germania Magistri Civium appellati sunt, quos recentiori vocabulo *Burgimagistros* nominant, quoniam civium negotiis praesunt, et summa dignitate aucti, munere suo in urbibus funguntur. Hi quando coeperint, non satis exploratum est; illud autem pro certo affirmare possum, in veteri Francorum Republica, nullos hoc titulo urbium magistratus fuisse. Ut veri sit simile, finito Francorum Imperio, quod dissidiis attritum, et fatali deinde casu extinctum est, primo constitutos, et inde a temporibus Augustorum Saxonum in rempublicam receptos, atque in oppida introductos esse hos civium magistratos. Diversum ab iis sentio, qui *Burgimagistros* antiquitus dictos putant; nusquam enim hoc nomine in annalibus tabulisque veterum inscribuntur, etsi magistri civium nominantur passim et celebrantur, cum primis autem in seculi XII. et XIII. monumentis. Cives autem alio nomine *burgenses* audiunt, cuius origo a *burgo* ducitur, *burgus* autem nunc castelli, nunc oppidi significatione venit. Quod P. Lambecio e memoria excidit, dicenti, *burgum pro urbe nusquam se legisse. Rer. Hamburg. lib. II. p. 13.* Atqui legere potuit apud Ottfridum, qui Francorum seculo floruit et scripsit. Post eum per plures alii, *burgum* pro urbe extulerunt, quod diplomata passim in Germania et Belgio edita Lambecium admonere debuissent. Hinc minime colligere fas erat, *Burgimagistrum appellandum esse praefectum pagi, vel castelli*, quandoquidem hae dignitates ad Comites et *Burggravios* pertinebant. Etenim magistri civium non erant magistratus in republica maiores, nec tamen minoris momenti negotia in urbibus administrabant, sed summa in iis auctoritate pollebant, etsi aliter visum est auctori *exercitationis de urbibus Germanicis apb. LXXV.* Illud adde-re iuvat, magistratos civium praeponi Consulibus, ut passim conspicitur in formulis diplomatum Teutonicorum. Sed tunc Consules pro Senatoribus accipiuntur, perinde ac Proconsules interdum pro Consulibus usurpantur, recentiori et ab aevo Romanorum abhorrente exemplo, quod seculis rudibus atque inficis facile condonari potest.

§. VIII. In Transylvania urbes Saxonicae instituta et mores sequuntur veterum Saxonum, virosque bonos et iustos alunt, qui consilia non casu, sed ratione ac iudicio metiuntur. Consules et Senatores sapientia praestant, et quid facto opus sit, tempestive admonent, ita ut in omni re salus populi proponatur. Speciatim in Vrbe Cibiniensi optima deliberandi ratio valet, et magistratus fidem diligentiamque Civibus demonstrat. Auctoritas penes Consulem, Consilium penes Senatum, potestas penes populum est, amor denique omnium animos coniungit, legibusque in officio retinet, et sancte confirmat. Cives ubi nati educatiqve sunt, ibi libenter vivunt et manent, patriaeque dulcedine capti, sub iusto Rege, et moderato Principe coniuncti inter se atqve concordēs, aequa libertate fruuntur. Status urbis popularis est, administratio aristocratica praefert, et tribunitio iure temperatur. Duplex Senatus est, interior, qui auctoritate conspectior, iudiciis civilibus et capitalibus praefert, ac XII. Viris constat: exterior Centumviros complectitur, qui populi vicem referunt suffragiisque suis efficiunt, ut omnium sane civium ratio habeatur. Intra urbem Consul primas tenet, et tanquam in loco iurisdictionis suae, Regium Iudicem praecedit: extra urbem, et in provincia Iudex honore praestat, et praeses est conventus iudicum, qui a septem urbibus deliguntur, quin et caput nationis Saxonicae apud Transylvanos est, ac totius provinciae Comes, quam dignitatem, quoad vivit, retinet, eiusque ratione a Principe confirmatur. Consul etiam praecipue aerarium curat, et cum senatu censum cuiusque civis definit, tributaque opum proportionem imperat, constituto ad eam rem exactore, qui pecunias cogit, et aerario infert. Tum consul, qui finito biennio, magistratu abiit, titulo *Proconsulis*, plerumque Curiae consiliis adhibetur, aut si Consul reipublicae causa foris versatur, partes eius agit Proconsul, aut si hic forsitan e vita decessit, sedis Iudex, soli alioquin Consuli secundus, vel quis alius ex primiceriis senatoribus, Consulare munus administrat. Praeterea sedis Iudex, iudici tamen regio obnoxius, in tractu Cibiniensi, de delictis cognoscit, et in facinorosos inquiri pariter ac animadvertit. Amplius vias publicas curat Senator, qui *Villicus* dicitur, prospicitque, ne pontes, portae, et aedificia publica vitium faciant, neu itinera transitusque corrumpantur. Aedilis sigillatim basilicas, templa et scholas curat; denique suum quisque officium facit, salutemque urbis, supremam esse legem, recte arbitratur.